



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 68. Precyus de Alegre Mompenserio opem fert, & Matalonem profligat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A. C. 1495.

§. LXVIII.

*Precyus de Alegre Mompenserio opem
fert, & Matalonem pro-
fligat.*

Marian. l. 26 Arbanus in his angustiis prehensus, Albinum sollicitat, ut collecto justo copiarum numero, ac commeatu eum a periculo educeret; verum Albinus morbo affectus, Precyo de Alegre istius curam demandavit, qui rei gerendæ negotium lubens accepit: Ferdinandus vero re comperta quantocius cum delecta suorum militia Matalonem Comitem decernit, qui Precyo occurreret. Verum Comes insidias, quæ eidem struebantur, haud evitare poterat; Precyus enim agmen suum nimis lassatum ac itineri prosequendo impar esse simulans, eandem, qua venerat, viam relegit, cumque a fronte tutus esset, commeatum suum ea ex parte collocavit, copias vero suas eo ordine instruxit, ut validiores extrema aciei occuparent. Nunciant interea Matalonis exploratores, quod Gallos, nisi mature eos ab æqui campi opportunitate excluderet, nunquam penitus profligare posset, eo quod illi facili negotio in Apuliæ urbes confugerent, a quorum civibus, cum ferme omnes Andegavensibus adhærerent, non sine jubilo exciperentur.

rentur. Comes horum relatione ani- Sæcul. XV.
 matus, Gallos, priusquam arctiores vias A. C. 1495.
 reliquissent, aggredi statuit, ac improvi-
 do plane consilio stationem suam dese-
 ruit. Equidem Gallis occurrebat, cum
 adhucdam in campo summe inæquali
 hærerent, nihilominus Precyus in pri-
 mum Matalonis agmen irruit, illudque
 altero impetu feliciter tentato, protrudit
 usque ad mediam ejus aciem, quæ ve-
 teranæ Neapolitanæ militiæ tribus mil-
 libus, ac mille Vasconibus, qui omnes in
 prælio occubuerunt, constabat. Po-
 strema Matelonis acies, cum sibi soli to-
 tam victorum, præliique molem incum-
 bere intelligeret, cunctis dilabentibus, &
 ipsa periculum fuga prævertit, illud vero
 agmen, quod Matelo ad subitos prælii
 casus sepositum habebat, insciis Gallis
 Elbolim conduxit, ceteris Nolam, aliis
 Neapolin fugientibus.

§. LXIX.

*Precyus ad castrum Ovi movet, sed
 in Calabriam profugit.*

Ferdinandus hac suorum clade summe
 perterritus, jam in eo erat, ut soluta
 arcium obsidione cæptum expeditionis
 cursum sistere decerneret; attamen con-
 jurati, qui Mompenserium Neapolitana
 urbis porta excluderant, necnon Prosper,
 G 3 &